BEDA VENERABILIS
Salzburg, St. Peter, 1. Viertel 9. Jh. Seite 286
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=38278
Copyright: Salzburg, Erzabtei St. Peter, Benediktinerstift, Bibliothek



ministri presidis qui iuxta alios euangelistas adfuisse leguntur
seditionis contra romanos principem teneant.

Considerans autem dolum illorum dixit ad eos. Quid me temptatis. Ostendite mihi denarium cuius habet imaginem et inscriptionem.

Sapientia semper sapienter agit ut suis potissimum temptatores sermonibus confutentur. Ostendite mihi inquit denarium. hoc est genus numi. quod pro decem nummis imputabatur et habebat imaginem caesaris. Qui autem putant interrogationem saluatoris ignorantiam esse. et non dispensationem discant. Ex praesenti loco quod utique potuerit scire ihesus cuius imago esset in nummo sed interrogat ut ad sermonem eorum competenter respondeat.

Respondentes dixerunt caesaris. Et ait illis. Reddite ergo quae caesaris sunt caesari. Et quae dei sunt deo.

·H· Caesarem non putemus augustum sed tiberium significari priuignum est. qui in loco successerat uitrici. sub quo passus est dominus. Omnes autem reges romani a primo gaio caesare qui imperium arripuerat caesares appellati sunt. Porro quod ait. Reddite quae sunt caesaris caesari. id est nummum tributum et pecuniam et quae sunt dei deo. Decimas primitias oblationes ac uictimas sentiamus. Quomodo et ipse reddit tributa pro se et pro ero. Et deo reddit quae dei sunt patris faciens uoluntatem aliter reddite quae caesari sunt caesari

·R· et quae dei sunt deo. Quemadmodum caesar a uobis exigit impressionem imaginis suae. sic et deus ut quemadmodum illi redditur nummus sic deo anima lumine

·A· uultus eius inlustrata atque signata. Unde psalmista. signatum est inquit in nobis lumen uultus tui domine. hoc quippe lumen est totum hominis et uerbum bonum quod non oculis sed mente conspicitur. signatum autem dixit in nobis tamquam denarius signatur regis imaginae. homo enim factus est ad imaginem et similitudinem dei quam peccando corrupit. Bonum ergo eius est uerum

·V· atque aeternum si renascendo signetur.

Et non potuerunt uerbum eius reprehendere coram plebe et mirati in responsis eius tacuerunt.

Qui credere debuerant ad tantam sapientiam mirati sunt quod calliditas eorum insidiandi non inuenisset locum. LXXXIII

Accesserunt autem sadducaeorum qui negant esse resurrectionem.

Duae erant hereses in iudaeis. una pharisaeorum et altera saducaeorum. pharisaei traditionum et obseruationum quas illi deuteres uocant iustitia praeferunt. Unde et diuisi uocabantur a populo. saduceis autem qui iustitia pre